



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLIV. Leonis Papae I. Ad Marcianvm Avgvstvm. Inter cetera, pro  
defensione fidei imperatori gratulatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

## EPISTOLA XLIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Inter cetera, pro defensione fidei imperatori gratulatur.

*Leo episcopus Marciano Augusto.*

**M**VLTAM mihi fiduciam scribendi ad clementiam vestram, & literæ vestræ, quas veneranter accepi, & coepiscopi mei reuertentes a Constantinopoli præbuerunt, non sola assertione verborum, sed ipsis iam operum effectibus demonstrantes, ad defensionem catholicæ fidei diuinum in vobis vigere præsidium. Quo utique non solum ecclesiæ status, sed etiam vestri robur munitur imperii: vt merito eius expectetis protectionem, cuius colitis religionem & veritatem, gloriofissime imperator. Nam vt & fratrī mei Anatolii citius manifestaretur integritas, & olim damnati erroris rediūtus afferitor locum in Christi ecclesia non haberet, vt catholici episcopi, quos nuper hæreticorum persecutio deprauare non potuit, ab iniustis reuocarentur exiliis, vtque reliquiis beatæ memorię Flauiani digno honore suscep̄tis, impietatem suam condemnator eius agnosceret, vestræ virtutis titulus, vestræ pietatis est fructus. Cui confido & aliarum insignia accumulanda palmarum, vt sicut Constantinopolitana ecclesia, recepta apostolicæ fidei libertate, latetur; ita omnes regni vestri prouinciæ emundatas se esse a diabolici dogmatis contagio glorientur. Vt ergo præcedentibus literis indicaui, fratres meos Lucentium episcopum, & Basiliū presbyterum, qui solicitudinis meæ partes possint implere, direxi: fauori eos pietatis vestræ in omnibus quæ sunt agenda commendans. Nam cum & fratrī mei Anatolii scriptis, & nostrorum sermone cognouerim, multos de his, qui apud Ephesum Dioscori factiōne compulsi detestabilibus statutis præbuere consensum, pœnitendo inconstantiae suæ veniam postulare, & communio nem catholicam per satisfactionem correctionis expere re; non fuit talium negligenda conuersio, qui non proprio sensu, sed impii præsumptoris impulsu in hæc inci-

*Concil. Tom. 7.*

N ij

disse noscuntur, in quibus liberum non habuere iudicium.

Ne igitur vel resipiscentium desideria mora longior fatigaret, vel incuriosa facilitas temere aliquos & sine discretione fusciperet, iniunctum est ab apostolica sede directis, vt in confortium suæ deliberationis accito Constantinopolitanae vrbis antistite, & pestilentia contagia non admittantur, & sanitatis remedia non negentur. Quæ industria in omnibus, quæ nequiter gesta sunt, emendandis celerem, iuuante Domino, consequetur effectum, si reparationi pacis ecclesiasticæ opem suam vestra pietas dignetur adiungere: vt vobis in terra regnantibus, & Dei regnum intra vos habere mereamini, & catholicae fidem nulla falsitas violet, nulla haeresis inquietet, nec cuiquam liceat doctrinam euangelicam deserere, & sacerdotali honore gaudere. Synodum vero fieri, vt

Causa defi-  
gnatur pro-  
hibens ce-  
lebrare Cō-  
cilium.

meminit clementia vestra, etiam ipsi poposcimus. Sed sacerdotes prouinciarum omnium congregari praesentis temporis necessitas nulla ratione permittit: quoniam illæ prouinciæ, de quibus maxime sunt euocandi, inquietante bello, ab ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Vnde opportuniori tempori, propitiante Domino, cum firmior fuerit restituta securitas, iubeat vestra clementia referuari. De qua re plenius inter cetera apud pietatem vestram poterunt allegare, quos misi. Data \* quinto Idus <sup>septimo</sup> Junii, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XLV.  
LEONIS PAPÆ I.  
AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Eutychianam hæresim detestatur. Hortatur vt eius opera Eutyches in remotiorem locum detrudatur,  
inque illius monasterio catholicus  
abbas sufficiatur.

*Leo episcopus Pulcheriae Auguftæ.*

**R**E LIGIOSAM pietatis vestræ solicitudinem, qua vniuerso mundo, Deo inspirante, consulitis, crebrioribus alloquiis incitare praesumo: vt operum vestrorum